INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLVII A DIE XX APRILIS

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT
MICHAELIS JOS. KRÜGER, THEOL. D. ET PROF. P. O.

DE NOMINIS HEBRAEORUM ORIGINE ET NOTIONE

COMMENTARIOLUS.

BRUNSBERGAE,
TYPIS HEYNEANIS.
1857

LYCEI REGII HOSIANI RECTOR

DR. LAUR. FELDT,

PROF. PUBL. ORDIN. ET NONNULLARUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALIS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
RECTOR ET SENATUS
CIVIBUS SUIS
S.

Hebraeus, עִבְרִי, non potest vocari quisquam praeter eum, qui aut ab Heber patre genus repetit, aut cui Heber regio vel urbs patria est. Quarum rationum utra in derivando nomine Hebraeorum locum obtineat, jam videamus.

Ab Heber patre nomen Hebraeorum Flavius Josephus repetit (Antiqq. I. 6 §. 4.) Ab Heber enim, Semi pronepote, in sexto generationis gradu positus reperitur Abrahamus (Gen. 10, 22—24; 11, 10—27), qui habitans in Chanaanaeis Hebraeus vocatur (Gen. 14, 13), et cujus posteri Israelitae eodem nomine quum se vocant ipsi (Gen. 40, 15; Ex. 1, 19; 2, 7; 3, 18; 5, 3; 7, 16; 9, 1. 13; Jon. 1, 9), tum vocantur ab Aegyptiis (Gen. 39, 14. 17; 41, 12; Ex. 1, 16; 2, 6.), et a Philisthaeis (1. Sam. 4, 6. 9; 13, 19; 14, 11; 29, 3). Si tamen quaeritur, utrum Abrahamus et Israelitae inde Hebraei vocati sint, quod inter majores eorum unus fuit Heber nomine insignitus, an alia ejus nominis causa fuerit, illud pernegantes hoc affirmamus. Quum enim a celebrioribus tantum progenitoribus gentes vocari soleant, de Heber illo inter majores Abrahami obvio nihil fere relatu dignum ad Mosen pervenerat, praeterquam quod vixerit, liberos genuerit, mortuus sit. Nullam sane talis progenitor occasionem praebuit Israelitis gloriandi nomine Hebraeorum (2. Cor. 11, 22; Philo de migr. Abr. §. 4). Ut autem fuerit Heber vel illustrissimus, cujus nomen posteris splendorem dare valuerit, certo omnibus gentibus ex eo originem trahentibus Hebraeorum nomen commune esse debebat. Id quod contra accidit. Nam e pluribus filiis, quos Heber pater praeter Phaleg filium genuit (Gen. 11, 16. 17), unius tantum Joctan nomen et genus propagatum indicatur (Gen. 10, 25—30). At neque e Joctan prodeuntes populi, neque universa a Phaleg descendens soboles unquam nomen Hebraeorum habebant, sed qui ab Abrahamo Hebraeo dicto venit solus Israelitarum populus Hebraeorum nomine gaudet vel maxime proprio, quo a populo quovis alio distinguatur. Id quod probatur loco Ex. 21, 2 coll. cum Deut. 15, 2 seqq. et Jerem. 34, 9. 14, ubi servus hebraeus non est servus ab Heber patre per Joctan aut Phaleg aut alium quempiam filium genus repetens, sed qui natione Israelita sive Judaeus in servitutem cessit. Per quem loquendi usum quum Israelitae sibi tantum solis nomen Hebraeorum concederent, nec hos ipsos unquam ab Heber patre parum celebri, quem cum bene multis populis communem habebant, sed aliunde nomen hoc deduxisse constat. Itaque errorem hunc ad Flavium Josephum remittimus.

Ab Heber regione nomen Hebraeorum derivans vir clarissimus Guil. Gesenius, libro quem de historia linguae hebraicae confecit pag. 9 seqq., Hebraeum eundem esse ac Transeuphratensem contendit, atque hanc esse ejus nominis causam, quod e Mesopotamia Euphratem trajiciens Abrahamus in terra Chanaanaeorum advenerit. Nec deest argumentum, quo ea ipsa opinio quandam verisimilitudinis speciem induit. Heber enim regionem ulteriorem designat, trans mare vel flumen aliquod sitam, aut ad quam non pervenitur, nisi permeata valle vel spatio quocunque trajecto. Jam quemadmodum post exilium

babylonicum Judaei regionem sitam trans Jordanem, reticentes quidem sed subintelligentes ejus fluminis nomen *Περαίαν* vocabant, ante illud exilium regio transeuphratensis eo facilius vocari potuit Heber sive *Περαία*, indeque oriundi homines Hebraei sive *Περαῖοι*, quod, Euphrate tunc fluvio *κατ᾽ ἐξοχὴν* dicto (v. g. Gen. 31, 21; Ex. 31, 23), Transfluviani iidem erant ac Transeuphratenses. Certe loco satis vexato Num. 24, 24 Heber vox regiones aut etiam populos transeuphratenses denotat, nisi forte quis de gentibus aut regionibus, quae sunt ultra Assyriam, vocabulum hoc ibi intelligere maluerit (conf. Rosenmüller Scholia in h. l.). Speciosiorem tamen quam veriorem nominis Hebraeorum derivationem hanc esse similiter ex eo perspicitur, quod nullius populi, nisi solorum Israelitarum proprium nomen erat. Ut enim taceamus, advenientem una cum Abrahamo e Mesopotamia Lot ejusque posteros Ammonitas et Moabitas nusquam vocari Hebraeos, ne omnes quidem ab Abrahamo Hebraeo descendentes populi, ut Ismaelitae et Edomitae, eo nomine tanquam generali comprehenduntur, sed secundum locos supra laudatos servus hebraeus minime est servus Ismaelita aut Edomita, sed Israelita tantum.

Quamquam nobis ut Heber pater, ita patria Abrahami transeuphratensis praecluditur, unde Hebraeorum nomen deducamus, nihil tamen obstat, quominus aliam quandam patriam Heber dictam statuamus fuisse Abrahamo, unde Hebraeus vocatus sit. Heber enim hebraice id est, quod graece *τὸ πέραν*, germanice das Jenseits; a quo derivatum Hebraei nomen facillime optimeque designabit hominem, qui non hisce in terris, sed in coelis patriam sibi civitatemque manentem esse profitetur. Atque hanc veram originem et notionem nominis Hebraeorum esse, multa sunt quae suadent.

1. Abrahamus Hebraeus ejusque posteri revera patriam suam non his in terris esse pro certissimo habentes, quot annos his in terris degissent, totidem peregrinationis extra patriam annos explevisse sese testabantur. Nam Pharaoni interroganti Jacobum, quot annos vixisset, secundum locum Gen. 47, 9 hic annos peregrinationis suae esse 130 respondit, addens praeterea, patres suos in peregrinatione ipsorum annos vitae numero plures habuisse. Peregrinationem hanc a Jacobo commemoratam eam esse, qua ipse et patres sui abfuerint ab Ur Chaldaeorum, sede patria, si quis contendere praesumeret, falleretur egregie. Abrahamus enim terram patriam Mesopotamenam egressus est, quando 75 annos natus Haran loco relicto terram Chanaan petiit (Gen. 12, 4); in Haran autem non commoratus est ultra quinquennium postquam Ur Chaldaeorum, urbem patriam reliquit, sicut in prooemio indicis lectionum in Lyceo nostro per hiemem anni 1855/56 habendarum pag. 13 satis adstruximus. Itaque Abrahamus ex 175 vitae suae annis (Gen. 25, 7) 105 extra urbem, extra terram patriam 100 transegit; si tamen teste Jacobo nepote annos vitae plures quam 130 absumsit peregrinando, eam peregrinationem intelligamus necesse est, qua procul a coelesti patria in terris exulabat (conf. Ps. 119, 19.) Jam quoniam apud Abrahamum, Isaacum et Jacobum nulla erat disparitas in vero deo colendo, in aliquo dogmate profitendo diversas partes eos tenuisse difficillimum dictu est; unde cum auctore epistolae ad Hebraeos datae concludimus, quod Jacobo, id iis omnibus commune dogma fuisse, scilicet esse se *ξένους καὶ παρεπιδήμους ἐπὶ τῆς γῆς* (Hebr. 11, 13). Patrum autem ut imitandas virtutes, ita dogmata credenda posteris Moses proposuit.

2. Ipsum nomen Hebraeorum ad coelestem patriam respicere jam LXX interpretes contestati sunt. Nam licet lingua graeca *τοῦ περαίου* et *τοῦ περαΐτου* vocabula apta nata habeat ad congrue exprimendum nomen Hebraei sive ejus, cui regio ulterior patria est, placuit tamen interpretibus illis, Gen. 14, 13, ubi primum id nomen obviam fit, prae *τῷ περαίῳ* vel *τῷ περαΐτῃ*, qui ad transeuphratensem quoque patriam trahi poterant, eligere *τὸν περάτην* nullo modo ei patriae terrenae conciliandum. Nimirum longe ante epistolam Hebraeis missam interpretes illi bene perpendentes, qui secundum locum Gen. 47, 9 peregrinos sese et hospites his in terris esse confiterentur, ab iis talia dicentibus significari, quantopere exspectarent, desiderarent, inquirerent coelestem sive patriam sive civitatem, hominem vere hebraeum

sive περαῖον vel περαΐτην non esse judicarunt, quin simul esset et περάτης, sive tenderet constanter ad coelestem patriam (Hebr. 11, 10. 14 seqq.). Tendentis enim in regionem ulteriorem notionem habet vocabulum τοῦ περάτου teste Philone Judaeo, secundum quem ad allegorias omnia trahentem Hebraei consueverunt ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ νοητὰ μετανίστασθαι· περάτης γὰρ ὁ Ἑβραῖος ἑρμηνεύεται (de migr. Abr. §. 4). Jam si quis nimis contentiosus asserere voluerit, LXX interpretes Abrahamum inde περάτην vocasse, quod sedem fixam in Chanaanaeis non habens ἐπέρα, i. e. transibat de loco in locum, concedimus ei et hanc vocis τοῦ περάτου notionem, abusum tamen impedimus. Spretis enim vocabulis Hebraeum congrue graece exprimentibus, LXX interpretes certo indolem hominis hebraei cujuscunque describere voluerunt, non Abrahami tantum aliunde alio in terra Chanaan transeuntis, sed et ejus posterorum eam terram possidentium. Ut jam obloquenti demus plurimum, per etymologiam ὁ περάτης eum potest designare, qui latine viator, germanice Wanderer vocatur, quae tamen et apud nos satis usitata denominatio hominis cujuscunque viventis est, cui ex hujus vitae exilio in coelestem patriam proficiscendum sit.

3. Quod Gen. 10, 21 Semus narratur fuisse pater omnium filiorum Heber, id Flavius Josephus ita intellexit, ut Mosen scripsisse putaret, neque a Japheto, neque a Chamo, sed ab ipso seniore atque honoratiore Noachi filio Semo (Gen. 9, 18. 24; 10, 21), cujus pronepos Heber vocabatur, filios Heber sive Hebraeos habere originem. Quod quamvis sit verissimum si res ipsa spectatur, explodenda tamen est ejusmodi horum filiorum Heber explicatio; nam ab hoc Heber patre genus repetere atque Hebraeum esse usus loquendi pernegat esse idem, sicut supra evicimus. Nostra illius loci interpretatio haec est:

a. Quum Heber vox, generaliter regionem ulteriorem denotans, apta sit patriae vel civitati coelesti specialiter significandae, filii Heber iidem sunt ac filii regni coelestis (Matth. 8, 11. 12), sive cives regno coelesti adscripti; quoniam filiorum alicujus regionis vel urbis denominatio civibus ejus tribui solet (Ps. 149, 2; Ez. 23, 15. 17; Esr. 2, 1.)

b. Semus pater filiorum Heber, sive pater eorum, qui civitatem sibi in coelis esse credunt, eodem sensu accipiendus est, quo Jabal fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum, et Jubal pater canentium cithara et organo (Gen. 4, 20. 21), i. e. primus omnium Semus palam profitebatur, plenam hominum salutem his in terris non concedi, sed coelestis patriae civitatem ipsis quaerendam esse. Cui talia palam praedicandi occasionem datam esse probabile est a Nimrodo, qui coepit esse potens in terra et regnum terrenum inchoavit (Gen. 10, 8. 10.)

c. Sicut Abrahamus est pater omnium credentium, circumcisorum pariter ac praeputiatorum (Rom. 4, 11. 12. 16), ita Semus est pater omnium filiorum Heber, non Israelitarum tantum, qui quamvis non ad unum omnes sint revera, vocantur tamen soli nomine gentilicio Hebraei, sive filii Heber, sive interprete ipso Salvatore nostro οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν (Matth. 8, 11, 12) — sed et reliquorum hominum omnium ac singulorum, quibus Semi antesignani vestigia prementibus persuasum est, hanc in terris vitam ita transigendam esse hominibus, quo coelesti civitate patriaque potiantur.

Sententiam hanc nostram de origine et notione nominis Hebraeorum proposuimus commendatamque esse voluimus Vobis, Commilitones, praesertim quum ei firmandae quid desit, etiam volentes videre nequaquam potuerimus.

Populo Hebraeorum nomine glorianti ac propter id ipsum nomen civitatis coelestis bonis meritis quaerendae semper memori insuper res secundae promissae sunt indictaeque adversae his in terris exhauriendae, quo facilius libentiusque vitia fugeret virtutesque sequeretur (Lev. 26, 3 seqq.; Deut. 28, 1 seqq.). Similiter et Vos, Commilitones, eo proficietis gratia apud homines bonos, quo seduliores in cognoscenda, in sequenda divina eaque vera sapientia promptiores fueritis propriusque ad Deum accesseritis. Valete.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

Dr. Mich. J. Krueger, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Evangelium secundum Marcum synoptice exponet diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora IX—X.

II. De vitis et scriptis Patrum Apostolicorum disseret diebus Lunae et Saturni hora IX—X.

Dr. A. Menzel, P. P. O.

I. Apologetices partem reliquam tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.

II. Doctrinam de creatione mundi et de angelorum hominumque lapsu tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora X—XI.

III. Repetitiones disputatorias dogmat. moderabitur die Veneris hora X—XI.

Lic. A. Thiel, P. P. E.

I. Historiam ecclesiasticam a Gregorii VII tempore usque ad saeculum XVI proponet, die Lunae excepto, quotidie hora VIII—IX.

II. De epistolis decretalibus Romanorum Pontificum usque ad Gregorium I scholas offert diebus Lunae et Jovis hora VI—VII.

Lic. A. Pohlmann.

I. Prophetas minores interpretabitur ter per hebdomadem.

II. Historiam Israelitarum enarrabit ter per hebdomadem.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

Dr. L. Feldt, P. P. O. h. t. Prodecanus.

I. Trigonometriam geographicam i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: v. Sniedecki's sphärische Trigonometrie etc. übersetzt von Feldt tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.

II. Calculum differentialem et integralem simul cum applicationibus docebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
III. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
IV. Climatologiam docebit, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Martis et Veneris hora XI—XII.

Dr. M. Truetschel, P. P. O. Des.

I. Metaphysicam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora VIII—IX.
II. Logicam docebit quater per hebdomadem iisdem diebus hora vespertina V—VI.
III. Aristotelis de anima libellum offert interpretandum semel per hebdomadem die et hora definienda.
IV. Disputatoria instituet semel per hebdomadem.

Dr. F. Beckmann, P. P. O. Des.

I. Platonis Phaedonem interpretabitur aut Aristotelis de arte poetica libellum ter per hebdomadem hora IX—X.
II. Minucii Felicis Octavium explicabit bis per hebdomadem hora IX—X.
III. Exercitationes philologicas instituet bis per hebdomadem horis definiendis.

Dr. J. M. Watterich, P. P. E.

I. Imperatorum Suevicorum historiam enarrabit ter per hebdomadem hora II—III.
II. Historiam universalem explicabit ter per hebdomadem hora II—III.
III. De medii aevi litteris Germanicis disseret bis per hebdomadem hora III—IV.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii Hosiani, cui praeest Prof. Dr. Feldt, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora XI—XII studiosis patebit. — Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica cum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

Stipendium Scheillio-Bussianum.

Non tam ex ipsis fontibus haurientes, quam libros ejus argumenti recentius evulgatos non sine judicio adeuntes, duo commilitones de jejuniis Christianorum opuscula confecerunt sermone latino non constanter puro et polito. Quorum alter licet prae altero excellat dictionis et rerum singularum

perspicue demonstrandarum facilitate, hic tamen illum superavit sollertia, qua superflua omittens rem omnem apte disposuit et singula exacte prosecutus est. Huic, opusculum suum ornanti verbis S. Chrysostomi:

„Si in paradiso jejunium necessarium fuit, extra paradisum multo magis etc.“ duas praemii partes Ordo Theologorum adjudicavit, illi tertiam.

Resignatis schedulis prodiit nomen auctoris opusculi praestantioris:

Augustinus Kolberg, Tolkemittensis, Stud. Thlgiae.

sequioris:

Fridericus Strunge, Roesseliensis, Stud. Thlgiae.